



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

cum actio nulla vel inefficax est. * Quæ tamen
 16 si efficax esset, institui deberet coram Iudice dicti
 Michaelis, cui numerata est pecunia, si eam in ma-
 nibus adhuc habet, c. cum sit generale De foro compet.
 l. latus ordinem C. De iurisdic. omnium Iud. sin Mo-
 nasterio soluta, ab illo repetenda esset, deberet
 institui coram Iudice ex privilegio Ordini Mi-
 norum dato; propter notoriam illius Ordinis, &
 personarum exemptionem, Oldradus consil. 228.
 Quod fratres in sine. Quæ omnia diligentius fortè,
 quam desiderabit M. Gabriel, qui nos consulit,
 discutimus; ut re exactius discutiâ, apertius in-
 telligat ei consultum non esse, se huic testamento
 & dispositioni opponere, aut illi contravenire;
 meliusque futurum, si sumptibus inanibus se non
 vexet: cum non tantum spem obtinendi non ha-
 beat, sed etiam, si contra faciat, in manifestum
 periculum amittendi omnis commodi bonorum
 per dictum testatorem relictorum se coniiciet.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Legatum Ecclesiasticis relictum an debeatur Re-
 ligiosis.

1. Ecclesiastici sunt non tantum seculares clerici, sed
 etiam conventuales.
2. Qualitas adiecta verbo debet adesse tempore verbi.
3. Oblatio parentum an faciat liberos esse deditos statui
 Ecclesiastico.
4. Religiosus quis dicatur.
5. Destinatio quando pro actu sit.
6. Destinatus ad Religionem pro Religioso habendus est.

CONSILIUM CCCCXVIII.

I VSTAM dubitationem habere nobis non vi-
 detur, quod pro parte Reverendæ Dominæ
 Abbatis, & Conventus Vallis nostræ Do-
 minæ prope Huyum proponitur; an relictum
 residui, quod Venerabilis D. Ioannes Henrici
 Canonici Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis in
 suo testamento pro semisse prolibus fratrum & so-
 rorum suarum statui Ecclesiastico debitis reli-
 quit, etiam pertineat ad D. Catharinam filiam
 Gerardi Henrici fratris dicti testatoris, in præ-
 fato Conventu professam? † Nam perinde, imò ma-
 gis in statu Ecclesiastico versari, ei que dediti esse
 creduntur, qui monasticam vitam sub probatâ re-
 gula emissio voto religionis agunt, ac qui in sæ-
 culo degentes clericalem, canonicalem, aut sacer-
 dotalem statum assumpserunt, c. Non est vobis, c.
 Cum v. r. m. c. Porreclum De reg. & trans. ad relig. l. as.
 in Auth. Ingressi n. 24. C. De sacros. Ecclies.

Neque quicquam in contrarium urget, quod
 tempore scripti testamenti Catharina nondum fue-
 rit religionem professæ, quasi sic ad eam non per-
 tineat legatum, quod eo tempore non fuerit de-
 ditæ statui Ecclesiastico: * ob id, quod qualitas
 2 adiecta verbo, vel participio, intelligi debeat se-
 cundum tempus verbi, l. Titius De milit. testam. l. In
 delictu §. si extraneus De noxal. action. Laur. calca-
 consil. 15. Viso testamento; ita ut testator tantum
 complexus videatur eos, qui iam tunc, cum scri-
 beretur testamentum, statui Ecclesiastico dediti
 erant, non qui postea eum statum assumerent.

Nam testator præcisè sese non retulit ad tempus
 testamenti, sed generaliter ad conditionem pro-
 lium fratrum & sororum: sic ut ex verosimili
 mente ejusdem probabilissimum sit dicere, testa-
 torem non tam ad præsens tempus scripti testamen-
 ti, quam ad tempus suæ mortis se retulisse.

Deinde ut hoc dici non possit, satis tamen ea
 qualitas convenit præfatæ Catharinæ, ut id, quod
 non tantum per patrem suum, sed etiam ipsum te-
 statorem aliquot annis ante testamentum fuerit
 oblata Monasterio, & in eo usque ad professio-
 nem inclusivè, continuè educata, & ad religio-
 nem suscipiendam edocta. * Hujusmodi enim
 patris, & testatoris oblatio, ac loci in dicto Mo-
 nasterio pro dicta Catharina petiti impetratio suf-
 ficere ad hoc, ut dicatur dedita statui Ecclesi-
 stico, c. Si significatum, c. Cum virum De reg. & trans.
 ad relig. Multum enim interest inter deditum, &
 dedicatum: illud etenim est destinationis, & pro-
 positi magis, hoc extremæ perfectionis, Bart. &
 alij in Auth. Si qua mulier c. de sacros. Ecclies.

Et quamvis Religiosus propriè & strictè lo-
 quendo nemo sit, nisi voto emissio, & ne quidem
 in anno probationis, c. Religioso De sent. excommu-
 nic. lib. 6. l. as. in d. Auth. Si qua mulier n. 59. reli-
 gioni tamen deditum esse negari non potest, qui
 animo & intentione profuturi in Monasterio
 agit. Sic ut hoc casu ipsa destinatio tam Catha-
 rinæ, quam parentum & amicorum pro ea eam
 haberi faciat, atque si Religiosa tunc fuisset †
 Nam hic non est simplex cogitatio ad actum, quo
 casu destinatio non solet pro actu accipi, l. as.
 Zasius & alij in l. cetera §. sed si reparavit De leg. 1.
 sed progressus ad actum: habitu scilicet dictæ
 Catharinæ à primâ horâ, quâ in Monasterio ex-
 cepta fuit sic composito, uti solet carum, quæ po-
 stea profuturæ. * Et hoc est, quod dixit l. ason,
 in d. Auth. Si qua mulier n. 23. favore religionis
 idem judicandum esse de eo, qui est in actu; se-
 quuta præsertim postea perfectione actus; prout
 hic sequuta est Catharinæ professio, testatore ad-
 huc vivente & præsentem. Et sane eam fuisse vo-
 luntatem testatoris, ex eo quoque constat, quod
 cum alijs omnibus liberis fratrum & sororum,
 atque etiam ipsius Gerardi in mundo existentibus,
 in eodem testamento providerit specialiter
 nusquam tamen aliquid reliquerit particulariter
 huic Catharinæ; sic ut verosimillimum sit, testato-
 rem eâ comprehendisse sub generali relicto resi-
 dui; potissimum propter paucitatem eorum, qui
 ex liberis fratrum & sororum statui Ecclesiastico
 dediti inveniuntur.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Legatum pauperibus.

1. Pauperibus per legata & institutiones relinquere potest.
2. Fraudem legi non facis, qui se illi conformat.
3. Legati incapaci alicuius rei sine suo delicto, assignatio præstanda est.
4. Momentaneum dominium considerabile non est.

CON.

CONSILIVM CCCCIX.

APERTAM calumniam continet oppositio, seu defensio Ioannis vander Hagen, suorumque consortium, adversus intentionem Magistrorum, Provisorum pauperum Parochiæ S. Gaugerici Bruxellensis, huius causæ Actorum. Nam generalis illa exceptio, quod cum pauperibus non sit testamenti factio, & quod pauperes ex testamento acquirere non possint, saltem titulo universalis, imperitiam juris in patrono Reorum aperte redarguit: * cum aperta sit juris constitutio, permittens non tantum legata, vel fideicommissa pauperibus relinqui, *l. id quod pauperibus C. De Episc. & clericis*; verum etiam universales institutiones, tam ex alio, quam ex parte adscribi, *l. si quis ad declinandam C. eod. tit. & ibi Baldus*. Ut & in eo aberrat patronus, quod obijcit, leges Iucundi Adventus, & constitutionem secundum illas promulgatam, de non relinquendis bonis immobilibus manui mortuæ, in qua dicuntur esse pauperes in genere, seu pauperum administratores: nam vetat illa constitutio acquisitionem & retentionem bonorum immobilium, non legata relicta, non donationes, non venditiones illorum, si sic fiant, ut non impingant in dictam prohibitionem. Quemadmodum Petrus vander Hagen testator suam voluntatem accommodando ac conformando ad dictam prohibitionem, prudenti consilio in substitutione pauperum, de qua in hac causa quaritur, factâ mentione dictæ prohibitionis, aperte declarat, quod quoniam Collegium, seu universitas pauperum non possit acquirere bona immobilia, sub dictâ substitutione comprehendenda, per Proviores pauperum distrahi, & ex pretio confecto, redditus annuos comparari ad sustentationem pauperum velit; quorum reddituum acquisitio his personis seu collegiis prohibita non est.

Neque admittendum est, quod obijcitur, hanc testatoris cautionem esse fraudulentam, in fraudem dictæ prohibitionis adscriptam: nam in fraudem legis nihil facit, qui se legi conformat, & ne in illam impingat laborat, id faciendo, quod ius permittit. Permittit autem in genere ius, legata quæcumque & institutiones pauperibus adscribi, *d. l. si quis ad declinandam*: & per dictam constitutionem particulariter prohibetur tantum acquisitio immobilium, quam testator hoc provido consilio omnino impedit. * Cum alioqui etiam simpliciter relicta huiusmodi collegiis aut personis, quæ certorum bonorum incapaces sunt, sine suo delicto aut vitio, sed ex externa aliqua alia causa; veluti ex statuto, cum scilicet prohibetur alienatio in non subditum ex professione; ut in fratre Minore, *Clem. Exvi De verb. signific. ex conditione personæ, ut in servo, valeant & efficacia sint*; si non ad plenam acquisitionem, & retentionem ipsarum rerum, saltem ad hoc, ut eis debeatur pretium seu æstimatio earum, *Gloss. & DD. in l. Apud Iulianum §. ult. de legat. 1. Gloss. in verbo domum in c. 1. §. 1. De religiosis domibus lib. 6. Card. Zabarella consil. 102. nu. 2. Ioan. Mar. Riminal. consil. 499. Circa statutum nu. 4. vol. 3. præsertim, quia per hanc testatoris cautionem, nulla dictæ prohibitioni fraus fieri possit, propter simplex & absolutum testatoris præceptum prædictis Provioribus*

Conf. Wamel. Tom. II.

datum, de vendendis bonis immobilibus sub dictâ substitutione comprehensis; eâ intentione, ut prohibitioni non contraveniretur, & pauperibus adscripta substitutio per pretij surrogationem plenum effectum haberet. Neque enim finalis & præcipua causa prohibitionis in eo consistit (quod Patronus Reorum sibi persuadet) quod Ecclesiasticis collegiis satis sit provisorum. Nam si ea esset causa constitutionis, generaliter fuisset interdicta quorumvis bonorum, etiam mobilium & reddituum acquisitio, quam dictâ constitutio non prohibet; imò sequens ejus declaratio aperte permittit; sed ea ratio impulsiva tantum est pro parte, à qua concludens argumentum non recte deducitur: verum præcipua & finalis ratio consistit in eo, ne crebrâ & perpetuâ facultate acquirendi bona immobilia, Principes & domini temporales patiantur diminutionem jurisdictionis suæ super huiusmodi bonis, quæ sic manum mutantia ad aliterius generis jurisdictionem, Ecclesiasticam scilicet, transeant, *Bald. in c. Clerici nu. 2. De iudic.*

Qua in parte nihil curanda est patroni Reorum illa subtilis, seu potius cavillosa consideratio, quod per huiusmodi relictum saltem aliquo tempore dici debeant huiusmodi immobilia bona virtute dictæ substitutionis pauperibus acquisita; & quod alioqui Proviores illa vendere non possent, nec in alios transferre, *l. si filius tuus C. De donationb. sic ut pauperibus legata videatur proprietates: quemadmodum proprietates ipsarum pauperibus legata videtur, cum testator mandat bona sua distribui inter pauperes, Bald. in l. Et in epistola nu. 6. C. De fideicommissis*. † Nam quamvis subtili ratione id verum videri possit: in vero tamen rei effectu prorsus impertinens & relevans non est; propter momentum huiusmodi acquisitionis, cuius effectum tollit adiunctum in eadem oratione ac clausula mandatum de vendendo seu alienando. Quod præceptum coherens ipsi relictæ, efficit; ut non proprietates rerum, sed illarum æstimatio relicta videatur: quod nulla lex aut statutum prohibet; ideo quæ huiusmodi momentanea acquisitio in considerationem venire non debeat, *And. Tiraguel. in tract. de iudicio in rebus exiguis versis, 18.*

Quod novissimè obijcitur de non aditâ hereditate nomine filiarum, cui substitutio hæc facta est, & de acquisitione bonorum ex contractu non ex successione, prorsus improbabile & absurdum est; factisque diluitur per Actorum scripturam. Cui adiungimus quod huiusmodi anticipatio futuræ successione speciem ultimæ voluntatis habeat, & mortuo parente, pro successione accipiatur, *l. ult. C. Famil. erisc. Item quod dicta filia ipso iure, sine aditione, etiam facta fuerit patri hæres; propter patriam potestatem, atque ius suicitatis, l. in suis De liber. & posthums*. Atque ita paucis concludo, Reos per omnia condemnandos esse secundum conclusionem præfatorum Actorum.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Legati testamento relictæ commutatio.

1. Legatum ad certum usum, ad alium converti non debet.

X 3

2. Papa